

Ordinem uero nobiliorum. Quis nō maxime necessarium existimet? Cū in omni conuentu nedum Ciuitate: ordo ille locum teneat: quem tenet caput in corpore? Vt iuxta sit ciuitatem stare sine nobilitate. Atq; quodcunq; corpus sine capite. Quinimmo si ordinum uim & naturam diligentius inspicimus longe magis inferiores confugere uidebimus ad superiores: q̄ inferioribus accedere superiores: Ad copiam & enim semper indigentia confugit. Abundare autem magis diuites q̄ inopes nemo nescit. Qd si locorū angustia animo subeunt: ut non satis commode potuerint uiri nobiles & laute uitam ducere: meminisse debent ducentorum annorum spatia præbere potuisse satis magnam paradisi necessariis omnibus comoditatem ad honestum uitæ cultum. Nam sicuti omnia tempus aufert: ita omnia quoq; tempore perficiuntur: Vt sane existimandum sit: non defuisse illis locis nobiles colonos. Nec loca colonis nobilibus excipiendis: sed ut non tantum nobilitate crescerent: q̄ dignitate & moderatione rerum: factum est nouis incommodis acceptis: quæ nunc dicemus. Non & enim solum ex comodis incommoda sed comoda etiam ex incommodis sapius eueniunt: Accidit enim eodem fere tempore ut nonnulli ex finitimis. Latronum more quasi comuni consilio diuersis ex fluminum hostiis erumpentes: Gradum & Heracliam & Riualtū oppida inuaderent. A mari quoq; naues nonnullæ onerariæ quæ ex oriente uenissent: a piratis noctu æstuaria ingressis: Cum custodias uenturi negligentius agerent: furtim opprimuntur priusq̄ nauium custodes somno obruti: satis intelligant: quinam mortales in eas transcenderint: re palā facta: & clamore excitato a propinquis aliis nauibus: Quæ iuxta in anchoris starent. Fit undiq; concursus. Predones cum se detectos intelligerent: in suas resiliunt: cum telo qd̄ primum ad manus illis obuenerat. Prius autem q̄ concursus pugnam dirimat: atq; illi se se ifugam uertant: cæsi aliquot: nonnulli quoq; uulnerati onera tamen nauium magna ex parte cōseruata. Ea cedes & damna: cum querelis omnia compleuissent: statim indictum apud Heracliam cōcilium. Flebiles ibi primum exaudiri uoces: maxie uero quorum intererat: non esse mirum hoc accidisse. Illud admirandum non quotidie peiora nunciari. Ignauiam magistratuum in culpa esse: Qui nec leges nec mores reuereantur bona ciuium p̄ nihilo haberi. Itaq; singuli (ut in huiusmodi solet) post rem peractam memorare aliquid: Qd si esset actum nihil susceptum esset detrimenti: spectare iam res ad seditionem. Nec aude re maiores natu aduersus cōcitata multitudinem quicq̄ proloqui. Circūstant Christophorum patriarcham: orant ut pro auctoritate: qua maxima inter eos populos tum pollebat: compescat & temperet eos motus. Grandior erat etate uitæ quoq; sanctitate ac meritis & usu rerū humanarū: q̄cqd̄ cōsuleret: q̄si oraculū haberi. Facile oēs ad eū oculos cōuertūt. Itaq; oratio breuiter facta ad implorādū sancti spūs auxiliū: sic deinde locutū accipio.